

A. Christiani dicimus: Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, *Matth. 6.*  
" um, &c. Alioqui in seipso Deus nec obscurus est, nec ad terram prostratus, sed illustrissimus pariter  
& altissimus ita ut nec illius, nec sublimior reddi queat. Examinemus conscientias nostras, quid  
nos vrat potissimum, dum contra reprobos mente accendimur.

*Iudex terræ. Ebraicè est, iudicans terram.* Non solum potestas iudicandi Deo datur, sed & ipsum iudicandi opus: non solum potestate, sed & iudicando iudex est. Notemus ergo. Primum, Deum esse iudicem terræ, & iudicare etiam. Deinde, vltionem competere iudicii. Iudices non sumus, ergo nos ipsi vlcisci non debemus. Iudices terræ huius, de quibus Psal. 2. ministri illius sunt, ideoq; iporum est de malis sumere vindictam. Vide Rom. 13. Tertio, vltionem non debere mensuram & æquitatem iustitiae excedere. Et enim, ut hic videmus, annexa iudicio, non tyrannidi, vel iræ temeritati, secundum quam caro nostra ad vlciscendum prona est. Hinc leges illæ: Dentem pro dente, oculum pro oculo, &c. *Exod. 21.*

*Redde talionem superbis.*] Obseruemus hic obiter. 1. Quod Ebræ. dicit זְהַן, quod sonat, si inter- *Obs. 4.*  
preteris, Reduc. Ergo quæ mala facimus, ad nos perinde atq; sementis ad satorem redeunt. Est redi-  
tus quidam operum nostrorum, nisi mentis nostræ immutatione impediatur. Redibunt ad nos bo-  
na nostra opera, nisi ad malitiam auertamur: redibunt mala, nisi resipiscentes immutemur. Vide E-  
zech. 18. Reditum hunc operum nostrorum esse in manu Dei. 2. Non simpliciter dicit, Reddatur:  
sed, Redde talionem superbis. Opprimuntur pauperes, qui talionem reddere non possunt: oppressores  
sunt potentes, vel potentiorum fauore defenduntur. Verum qui hic inducitur Deus vltionum & iudex  
terræ, is demum est, qui omnium potest facillimè quibusvis potentibus reddere talionem. Proinde ne-  
mo potes, dum tenues opprimit, securus sit, nemo pauper desperet. Vide in commentarijs nostris  
super septimum caput Matthæi ibi: *Quæ mensura.*

*Talionem.*] Ebr. גְּבָרִים 3. Non simpliciter dicit, Redde: sed, Redde talionem. Hæc est æquitas iudicij,  
secundum illud Mat. 7. *Quæ mensura, &c.*

*Superbis.*] 14. Non est præter rationem, quod eos superbos vocat, contra quos vltionem diuinam  
implorat. Scit enim Deum parcere humilibus, & resistere superbis: nec tam delicta mortaliū,  
quam superbiam & arrogantiā punire. Ne terreamur igitur, quando impios non solum delinque-  
re, sed simul etiam superbire & arrogantes esse videimus.

- B 3. *Vsquequò impij Domine? vsquequò impij exultant?*
- 4. *Effutiunt & loquuntur superba, iactant se omnes operatores iniquitatis.*
- 5. *Populum tuum Domine conterunt, & hereditatem tuam adfligunt.*
- 6. *Viduam & aduenam occidunt, & pupilos interimunt.*
- 7. *Et dicunt, Non videt Dominus, nec intelligit Deus Iacob.*

*Loquuntur superba.*] Ebr יְדָבֵר עֲתָקָה Græcus sic: οὐδὲν οὐδὲν ἀστιναν: id est, Loquentur iniustiam, Signi. *Lectio,*  
ficit autem עֲתָקָה, graue, forte ac durum, vt possit reddere: Loquentur dura & grandia, loquentur dira & mi- *vers. 4.*  
nacia & violentia. Chaldaeus verit: צְדָקָה צְדָקָה: id est, Loquentur blasphema, vel probrofa. Hier. legit:  
Loquentes antiquum: eō quod dictio עֲתָקָה, aliquando inueteratum significat. Felix sic: Loquentur elatum.  
Recentiores quidam sic: Fabulantur. Pagninus: Loquentur dura. Reliqua nihil habent obscuri.

*Vsquequò impij Domine?*] Post vltionis implorationem querebas subiectum, quibus grauer satis de im- *EXPLA-*  
piorum hominum tripudio, arrogantia, crudelitate & dementia queritur. Versus tertius animum *NATIO,*  
exprimit impatientiae affectu tentatum. Videbantur impij perpetuo absq; vlo modo & fine exul- *vers. 3.*  
tantes, arrogantes, crueles, & dementes futuri. Vnde in has voces erumpit, dicens: *Vsquequò impij*  
*Domine, vsquequò impij exultant?* quo spiritu etiam sequentia ad hunc modum legenda videntur: *Vsque-*  
*quò effutiunt & loquuntur superba?* *Vsquequò iactant se omnes operatores iniquitatis?* *Vsquequò populum tuum Do-*  
*mine conterunt, & hereditatem tuam adfligunt?* *Vsquequò viduam & aduenam occidunt, &c.* Non enim minus  
vrebant animum pium, quod malitia huius nullus apparebat finis, quam quod in p:æsentia agebatur  
ab impijs: id quod particulæ huius, *Vsquequò impij Domine*, ingeminatio satis declarat. Queritur deinde  
primum de eo, quod tripudent, triumphent & exultent in malis suis. Et hoc etiam pertinent,  
quæ versu 4. subiectum, dicens: *Effutiunt & loquuntur superba, &c.* quibus verbis de arrogantia, insolentia  
& fastu eorum queritur. Et enim arrogantis animi & elati, grandia tonare, ac sine metu effutire, se-  
seq; pasim iactare. Consequenter, quoniam eos versu 4. operatores iniquitatis vocavit, vers. 5. vt decla-  
ret, quænam mala & iniqua operentur, de violentia & crudelitate eorum queritur, dicens: *Populum*  
*tuum Domine conterunt, & hereditatem tuam adfligunt.* Emphasis in eo est, quod non simpliciter dicit, *Po-*  
*pulum ac subditos conterunt: sed, Populum tuum Domine, & hereditatem tuam conterunt & adfligunt.* Sicut & se-  
quens versus sextus notanter *viduas, aduenas & pupilos occidi ab illis queritur*, poterat in genere dicere: *Vers. 6.*  
*Eti similes occidunt.* Credibile est eos non solum *viduas, aduenas & pupilos occidisse*, sed & reliquos  
tenuiores. Verum ut immanitatem eorum taxet, *viduarum, aduenarum & pupillorum meminit*: quod ge-  
nus hominum apud omnes mortales, modò humanos, commiserationem meretur; vnde & Israëli  
toties sunt à Deo commendati.

Vers. 7. impietatem malorum omnium radicem exprimit, dicens: *Et dicunt, Non videt Dominus, nec* *intelligit Deus Iacob.* Ore hoc non dicebant, sed corde & opere. Significat eos absq; vlo timore Dei  
oppressissime pauperes: id est, non proposuisse Deum ante conspectum suum, sed quasi in absentia  
Dei, sicut servi mali ac nequam solent confidenter ac securè tyrannidem exercuisse.

*Vsquequò impij Domine, vsquequò impij.*] Notemus hic, sicut & in alijs similibus locis, quomodo ani- *Obs. 1.*  
mos piorum vrat & crucier, quod impij non modò tantum à Deo, sed tam diu etiam permittitur.

Oo Admi-